

L A L I I C A =

PILVPI CENTO VER

gilianus , de uita Monachorum,

quos uulgo Fratres

appellant,



IN PONTIFICEM VEL
Minotaurum Roma. Versus
Sotadei.

Laus tua non tua fraus uirtus non co-
pia rerum,
Scādere te fecit hoc decus eximitū.

ITEM.

Conditio tua sit stabilis nec tempore
paruo
Viuerē te faciat heic Deus omni-
potens.

ITEM.

Pauperibus sua dat gratis, nec mu-
nera curat
Curia Papalis quod modo perces-
pimus.

*Retro hæc lege Lector ab
ultima ultimi uersus dicti-
one exorsus, et sensus uer-
rus patebit.*

LÆLII CAPILVPI CENTO

Vergilianus, de uita Monachorum,
quos uulgo Fratres appellant.

ILLE ego, qui quondam cum Gallus amore
periret,

Propositio

Noctes atq; dies cecini sub tegmine fagi,
Carminibus patrijs leuium spectacula rerum,
Maius opus moueo: non hic te carmine ficto
Magnanime Acneae nec te rationis egentem
Infoelix Dido miseri post fata Sychæi,
At fratres rerum dominos gentemq; togatam,
Illustres animas & corda oblita laborum
Dicam equidem fretus cithara fidibusq; canoris
Fatidicæ Mantus, non omnia possumus omnes.

O decus Italiae, magnæ spes altera Romæ
Cura Deum Hippolyte, proles pulcherrima bello
Per tot ducta utros antiquæ ab origine gentis:
Tu mihi, seu magni superas iam frigora Rheni
Horridus in iaculis & pelle Lybistidis ursæ
Arma inter regum clypeoq; insigne paternum
Centum angues cinctamq; geris serpentibus Hydræ
Arduus insurgens & grandia lilia quassans:
Siue Padi ripis augusta ad mœnia regis
Vnde genus ducis Tyrio conspectus in ostro
Inter sacra Deum patribus das iura uocatis:
Da facilem cursum atq; audacibus annue cœptis.

Inuocatio.

Ab Ioue principium generis, si credere dignum est:
Dijs quanquam geniti, tot iam labentibus annis
Errabant acti fati maria omnia circum,
Nulli certa domus, habitabant uallibus imis

Narratio
de primis
Monachis

A ij

Seclusum nemus & scopulis pendentibus antrum,
Riparumq; thoros inter deserta ferarum,
Sole sub ardenti gelidiq; sub æth. ris axe.
Iam tum religio pauidos terrebat agrestes.
Victum infœlicem baccas lapidosaq; corna
Dant rami, & uulsis pascunt radicibus herbæ.
Pocula sunt fontes liquidi, non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ.
Nulla Venus nulliq; animum flexere Hymenæi.
Heu pietas, heu prisca fides, quis talia fando
Temperet à lachrymis? Longo post tempore uenit
Vnus, qui nobis Deus æthere missus ab alto.

Vt à prima Is genus indocile & dispersum montibus altis
origine de Composuit legesq; dedit, noua quærere tecta.
generarint Idem omnes simul ardor agit, labor omnia uincit
posteris. Improbis, & rerum fato prudenti i maior.

Magnanimi Heroës, nati melioribus annis
Europa atque Asia, super & Garamantas et Indos
Centum urbes habitant magnas, atque aurea tecta,
Aurca nunc, olim syluestribus horrida dumis.
Tantum æui longinqua ualet metare uetustas.
Nunc & pauperiem & duros perferre labores
Saxa per & scopulos, & uirginitatis amorem
Religio uetuit monitu imperioq; Deorum.
Quid loquor? an sua cuique Deus fit dira Cupido?

Ergo omni studio læti conuiuia curant
Ante focum si frigus erit, si messis in umbra.
Hoc uirtutis opus: glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemq; ferat turpeisq; podagras
Vestitus. Et tunicæ manicas & habent redimicula mytræ.

At genus immortale Deum præcepta secuti

Incumz

Incumbunt generis lapsi sarcire ruinas. Oeconos
 Stat fortuna domus, & aui numerantur auorum. mia moneta
 Iura magistratusq; legunt sanctumq; senatum, stia.
 Rectores iuuenum & rerum, regemq; tremèdum
 Et quos aut pecori malint submittere habendo,
 Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas,
 Aut aris seruare sacris, aut scindere terram.
 Condit opes alius, grandæuis oppida curæ.
 Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorte.
 Omnibus in morem tonsa est coma, obesaq; terga
 Et crurum tenuis à mento palcaria pendent.
 Omnibus idem animus denso distendere pingui
 Quem legere ducem, sed non genus omnibus unū.
 Sed neq; quàm multæ species, nec nomina quæ sint
 Est numerus, nec enim percurrere nomina possem.
 Non mihi si linguæ centum sint oraq; centum. Ordinum
 Stat sua cuique dies breue & irreparabile tempus diuersitas
 Omnibus est, ueniet lustris labentibus ætas
 Cum domus & proles subito defecerit omnis. Oraculum
 Hæc nihil inuitis fas quenquam fidere diuis.
 Quid labor aut benefacta iuuant, sic omnia fati
 In peius ruerit, ac retro sublapsa referri
 Tum sciat, aërias alpes & Norica si qui
 Castella in tumulis uideat desertaq; regna. Ab exëplo
 Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est Germano.
 Vana superstio ueterum uic ignara Teorum,
 Quam neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro. Ironice
 Mores & studia, & populos, consortia tecta hæc de Eu
 Sustulit ista prior stygijs emissa tenebris. æglio re-
 Monstrū horrendū, informe, ingens, cui lumē adē- nascente di-
 Odit & ipse pater Pluton, odere sorores. (ptum, cuntur.

Parua metu primo, mox sese attollit in auras
Tam ficti prauiq; tenax, quam uuntia ueri.
Inq; dies auidum surgens caput altius effert.
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
Aspicc & extremis domitum cultoribus orbem,
Et penitus toto diuisos orbe Britannos.
Quid memorem infandas cædes uetitosq; Hymes
Ausu omnes immane nefas ausoq; potiti (næos?
Corripuere sacram effigiem manibusq; cruentis
Diripuerunt aras & relligiosa Deorum
Limina, ubique pavor & plurima mortis imago.
Quin etiam medias Italûm bacchata per urbes
Pestis & ira Deûm maioremq; orsa furorem.
Haud ignota loquor, cuncti se scire fatentur.

Paulus ter
tius Papa.

Tertius ille hominum diuumq; interpres Asylas
Os humerosq; Deo similis, cui plurima mento
Canicies inculta iacet, dependet amictus
Sordidus ex humeris, omnis quem credidit ætas
Semine ab æthereo & genus alto à sanguine diuû,
Fas omne abrumpit, trepidusq; repente refugit
Pictus acutunicas, tot sese uertit in ora.
Hæc mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo,
Seditione potens, instructus & arte P clas ga
ibat, & ingenti sese clamore ferebat.
Consilio uersare dolos ingressus & astu
Fertilis Ausoniae populos sermone replebat,
Oblitus decorisq; sui sociumq; salutis.
Ausus quin etiam sacrata auellere templo
Numina magna Deûm.

Ergo omnis furij surrexit Hætruria iustis
Tum celerare fugam, ueteres tellure recludit

Theſaur

Thesauros, ignotum argenti pondus & auri,
 Consciis audacis facti penetrauit ad urbes
 Et genus inuisum & diri sacraria Ditis
 Arma Iouis fugiens atque altae moenia Romæ.
 Et nunc ille Paris cum semiuiro comitatu
 Ignis ubi in medio & socij cratera coronant
 Telibans Leneæ uocat resupinus in antro.
 Causa mali tanti fulgenti murice uestis,
 Inuidia infœlix laudumq; immensa Cupido.
 Nusquam tuta fides, coluber mala gramina pastus
 Hortator scelerum, stimulis agitabat amaris.
 Nec requieuit enim, donec de culmine summum
 Inter saxa uirum stygias detrusit ad undas
 Impastus stabula alta Lco ceu sæpe peragrans
 Nunc hos nunc illos aditus omnemq; pererrat
 Italiam, taliam, sinuosa uolumina uersat.
 Arrectis horret squammis & sibilat ore.
 Horresco referens, Dij talem auertite a sum.
 Dij prohibete minas, superet modo Mantua nobis,
 Mantua diues auis, qualis Berecynthia mater
 Læta Deûm partu, procul ô procul este profani.
 Dij patrij seruate domum paruosq; nepotes.
 Et placidi seruate pios dominamq; potentem.
 Te precor Alcide magnum et memorabile numen,
 Quæ primi colimus miserantem incōmoda nostra, Hercules
 Hanc primum tutare domum, genus acre luporū. dux Fer-
 Hac casti mancant in religione nepotes, rariæ.
 Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis.

Quò feror? unde abij? fugit irreparabile tēpus
 Singula dum capti circumuectamur amore.
 Mulaq; præterea post me memoranda relinquo.

Vos o Calliope, precor aspirate canenti
Sacra, Deosq; , dapes, & plenæ pocula mensæ,
Fortia facta patrum, magno nunc ore sonandum.

Matutini
Monacho
vñ coetus.
Omne adeo genus in terris populūq; , patresq;
Mollibus è stratis opera ad lux suscitatur alma,
Et matulini uolucrum sub culmine cantus.
Principio delubra adeunt, atque ære sonoro
Turribus aut altis, aut summi culmine tecti
Dant signum, fulsere ignes altaria circum,
Iamq; , sacerdotes soli cantare periti
Velati lino uolitant, ostroq; , decoris
Et cantare pares & respondere parati,
Agmine partito fulgent, lustrantq; , choreis
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.
Stant aræ circum, puraq; , in ueste sacerdos

Missæ de-
scriptio.
Tercentum tonat ore Deos, ter gutture uoces
Aut quater ingeminat, sequitur cum cætera pubes,
Et nostras audite preces, templiq; , sacerdos
Ante aras plena supplex ueneratur acerra
Affaturq; , Deos tendens ad sydera palmas,
Se causam clamat crimenq; , caputq; , malorum,
Multaq; , se incusat, rapidoq; , hæc addidit ore:

Salue sancte parens superi regnator Olympi
Semper honos nomenq; , tuum laudesq; , manebunt,
Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.
Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem.
Coena my-
stica. Has ex more dapes, ille hæc monimenta reliquit,
Ertrema iam in morte, hanc tanti numinis aram
Seruati facinus meritosq; , nouamus honores.
Nate patris summi tua ne hæc per uulnera seruor,
Morte tua uiuens? quæ causa indigna serenos

Ecce dicit

Fœdauit uultus? aut cur hæc uulnera cerno?
Vicit iter durum pietas, te ianitor Orci
Te stygij tremuere lacus, tu sceptrâ Iouemq;
Conciliâst, tu das epulis accumbere diuum.
Parce pio generi, & propius res aspice nostras.
Dijq; Dee q; omnes, tuq; ô sanctissima uates
Alma parens, præsens nostro succurre labori.
Hæc ubi dicta dedit diuino ex ore sacerdos
Dona laboratæ Cereris, cœlestia dona
Miraturq; interq; manus & brachia uersat.
Heu quid agat? uaria confusus imagine rerum
Atque animum uinc huc celerem nunc diuidit illuc,
In partesq; rapit uarias, ut uertere morsus
Exiguam in Cererem suascrunt numine Diui,
Et uiolare manu malisq; audacibus orbem
Fatalis crusti, pectus percussit honestum
Terq; quaterq; manu, gemitum dat pectore ab imo.
Sic ait, haud equidem tali me dignor honore.
Et sacer impleuit dextram scyphus, ocyus omnes
Demisere caput percussæ pectora matres.
Agnouere Deum proceres, ille impiger hausit
Spumantem pateram & pleno se proluit auro.
Ite ait, & socios pura circumtulit unda
Spargens rore leui, & depasta altaria liquit.
Haud mora, continuo perfectis ordine uotis
Consurgit senior diuosq; in uota uocauit
Nudato capite, & medio stans aggere fatur,
Asper acerba sonans, intentis omnibus unus
Fata canit fusus prope xam in pectore barbam,
Edocet humanis quæ sit fiducia rebus,
Tartareas etiam fauces noctemq; profundam

Transub-
stantiatio.

Corporis
māducatiō

Calix.

Monacho
rū concio-
nes.

Et coniuratos coelum rescindere fratres,
Supplicia & scelerum poenas, sedesq; beatas,
Ambrosiae succos, & odoriferam panaceam,
Admonet, immiscetq; preces, alternaq; iactat
Brachia protendens, flammantia lumina torquens
Obtutu tenet ora soloq; immobilis haeret.

Incipit effari mediaq; in uoce resistit.

Omnia transformat sese in miracula rerum.

Ille situm morbosq; ferens mortalibus aegris

Horrendas canit ambages praesensq; minatur

Exitium, ueterum uoluens monumenta uirorum,

Aestusq; & pluuias & agentes frigora uentos,

Obscenamq; famem & tristes denuntiat iras.

Horrescunt corda agricolis, stupet inscia turba.

Vota metu duplicant matres, actaeq; furore

Conclamant, resonant late plangoribus aedes.

Lamentis, gemituq; & foemineo ululatu.

Talia uociferans folio se tollit ab alto

Tempora nudus adhuc, tunicaq; inducitur artus,

Tum uirgam capit, hac animas ille euocat Orco.

Confessio. Hunc circum innumeræ gentes, miserabile uulgus

Post alij proceres, uitas & crimina discit.

Munera portantes eboris auriq; talenta,

Setigerosq; sues, Dodoncosq; lebetas,

Prosequitur uenia, & uerbis compellat amicis.

Omibus exhaustos iam casibus, omnium egenos

Castigatq; auditq; & ad impiatartara mittit.

At qui diuitijs soli incubuere repertis

Fulmine deiecti fundo uoluuntur in imo.

Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur,

Tectum, augustum, ingens, centū sublime columnis

Instruis

Misericor
dia, mise=
ric.

Confessio.

Instruitur, medijsq; parant conuiuia tectis. Apparatus
Ordine aliena locant alij flammascq; ministrant, prandij.
Pars calidos latices, uerubuscq; trementia figunt
Terga suum, centum pingues cū matribus agnos.
pars epulis onerant mensas, Cereremq; canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia uillis.
Supponunt alij cultros, Bacchumque ministrant.
Discurrunt, uariantque uices, arisque relictis
Perpetuis soliti patres considerare mensis
Circum claustra fremūt, arrectisq; auribus astant,
Intenti expectant signum, diuosque precantur.

Tum pater omnipotens, rerū cui summa pote=
Tandem p̄greditur magna stipante caterua. (stas, Abbas.
Monstrū, horrendum, ingens, crassum farragine
Mors patrū solio medius conscendit auito. (corpus,
Ille operum custos, illum admirantur, & omnes
Circumstant fremitu denso, cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitque agitans discordia fratres. Monacho
Ille regit dictis animos fratresque superbos rum contē
Imperio premit, ac uinclis & carcere frenat. tiones.
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella,
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo. Prior.
His animaduersis opera inter talia primus
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.

O socij, nec enim ignari sumus ante malorum.
Hæc erat illa fames, hæc nos suprema manebat
Per uarios casus, per tot discrimina rerum
Exitijs positura modum, nunc uiribus usus
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Quod uoti optastis adest, sic itur ad astra.
Ergo agite, & cuncti nunc illas promite uires.

Comitia=

Communemq; uocate Deū, & date uina uolentes.

Hic finis fandi, solio insonuitq; flagello.

Vtq; dato signo spatia in sua quisq; recessit

Ordine cuncta suo, tunc facta silentia linguis.

Monacho: Sic animis iuuenum furor additus, inde lupi ceu
rum uord=
citas.

Raptores atrain nebula rapiuntq; ruuntq;

Diripiuntq; dapes, contactuq; omnia foedant.

Nec morane requies, olli certamine summo

Tergora diripiunt costis, tum dente tenaci

Dant sonitus, duro crepitant sub uulnere male.

Implentur ueteris Bachi pinguisq; farinae.

Teuthonico ritu uertunt crateres ahenos.

Postquam exempta fames epulis, uox omnibus

Coelicolum regi grates persoluere dignas (una,

Non opis est nostrae: media inter talia uerba

Nescio qua praeter solitum dulcedine laeti

Monacho: Deuenere locos letos, cantusq; dedere,

rum lusus. Ceu quondam nuae liquida inter nubila cygni,

Cum sese e pastu referunt, hic flumina circum

Fundit humus flores, texunt umbracula uites.

Hic gelidi fontes & prata recentia riuus,

Spelunca, uiuiq; lacus, ac lustra ferarum.

Tum laqueis captare feras, & fallere uisco

Impendunt curas, & retia ponere ceruis,

Auritosq; sequi lepores, & fluminis alueo

Cum uenti posuere alius trahit humida lina.

Pars in gramineis exercent membra palæstris.

Et tenucs rumpunt tunicas per opaca uiarum.

Pars pedibus plaudunt chorcas et carmina dicunt.

Consonat omne nemus strepitu, risuq; soluto.

Tunc pietate grauem ac meritis si forte uirū quem

Cona

Conspexere, silent, aut uersi terga dedere.

At patiens operum patruoq; assueta iuuentus **Monachi**
Aut onera accipiunt uenientum, aut agmine facto **aulici.**
(Fit uia ui) penetrant aulas & limina regum.

Discurrunt alij ad portas & tecta domorum,
Conuectare iuuat praedas & uiuere rapto, **Mendicantes.**
Venturae q; hyemis memores quaesita reponunt,

Aut foetus ouium aut urentes culta capellas,
Castancas q; nuces, pariter frumenta sequuntur

Interea socios uocat alta in templa sacerdos
Iam pridem resides, agrisq; effusa iuuentus
Undique conueniunt, & tristia funera ducunt, **Funera uo-**
(Ne quid inexpertum) crepitantia q; aera secuti **ducant Mo-**
Tum gemini fratres, nec multum discrepat aetas, **nachi.**

Funercas rapuere faces, de more uetusto

Incedunt pueri defuncta q; corpora uita

(Quod genus hoc hominum?) laeti clamore reportant

Hic matres miserae, pueri q; parentibus orbi

Flent moesti, resonat magnis plangoribus aether.

Spargitur & tellus lachrymis & molle pheretrū.

Ipsi laetitia uoces ad sidera iactant

Per medias urbes, longa cum ueste sacerdos

Lustrauit q; uiros dixit q; nouissima uerba

Manibus & cineri. Quam molliter ossa quiescent. **Mortuos**

Tum lecti iuuenes media testudine templi **spoliant.**

Incurrunt densi spoliant q; calentia membra

Religione patrum, foueis q; abscondere discunt.

Deuxo interea propior fit uesper Olympo, **Caena**

Tecta petunt, multa referunt se nocte minores.

Instaurant epulas & mensae grata secunda

Dona ferunt, noctem flammis funalia uincunt.

Aduol-

Aduoluere fœcis ulmos ignique dedere.
 Inuitat genialis hyems curasque resoluit.
 Tunc somni dulces, & tunc mollissima uina.
 Postquam prima quies epulis mensæque remotæ
 Porticibus longis, nil magnæ laudis egentes
 Inualidique senes somno unoque sepulti
 Conticuere, sopor fessos complectitur artus.
 Omnibus una quies, operum labor omnibus unus.
 Monachorum libido At non in uenrem segnes, & dulcia furta
 Egregij forma, & primæuo flore iuuentus,
 Defensi tenebris & dono noctis opacæ
 Pro pudor. In furias ignemque ruunt, nec claustra nec ipsi
 Custodes sufferre ualent, amor omnibus idem.
 Multi præterea, quod rebus restat egenis,
 Sæpe manu liquido distendunt nectare cellas.
 Magnanimum Heroum pertentant gaudia pectus
 Solamenque mali distillat ab inguine uirus.
 O fortunatos nimium, sua si bona norint.
 Non absunt illis saltus armenta que læta.
 Cælati argenti sunt auri multa talenta,
 Sacra Deum, sanctique patres, & chara sororum
 Moniales. Pectora mœrentum tenebris & carcere cæco
 ironia. Centum ærci claudunt uectes, & sæpe sine ullis
 Coniugijs uento grauidæ, mirabile dictu,
 Epilogus Relligione sacræ, non hæc sine numine Diuum
 ad monachosomni- Iam noua progenies cælo demittitur alto.
 um & laborum et periculis Credo equidem, nec uana fides, genus esse Deorum.
 ricularum Omnes cœlicolas centum complexa nepotes.
 experies. Hinc Itale gentes omnisque Oenotriatellus

In dubijs responsa ferunt, tibi maxima rerum
Verborumque fides, & nescia fallere uita.
Cura tibi Diuūm effigies & templa tueri.
Europam atque Asiam magno turbante tumultu,
Non eadem inuideo, ipsa procul discordibus armis
Haud impacatos à tergo horrebis Iberos.
Non unquam somnos abrumpit cura salubres.
Atque utinam ex uobis unus uestrique fuissē
Aut custos gregis, aut maturæ uinitor uuæ
Omnia uincit amor, quis enim modus adsit amori?
Ille mihi thoraca simul cum pectore rupit.
Transadigit costas liquitque uolatile ferrum.
Altius ad uiuum per sedit uulnere mucro.
Quid facerē? talin' possum me opponere monstro?
O fortunatæ gentes, genus ab Ioue summo,
Vobis parta quies, nos flendo ducimus horas
Nos alias hinc ad lachrymas eadem horrida belli
Fata uocant, sæuit toto Mars impius orbe.
Regibus incessit magno discordia motu.
Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum
Turbidus & torquens flauentes Ister arenas.
Extremique hominum Morini, tot millia gentes
Arma ferunt Italæ, sanguis nouus imbuit arma.
Nunc etiam horribili uisu portenta sequuntur
Obscenæ uolucres (id rebus defuit unum)
Aetheraq; obscurant pennis camposq; patentcs
Facta nube premunt: En queis consequimus agros?
Nec tantis mora prodigijs, bella, horrida bella,
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.
Ecce inimicus atrox, genus insuperabile bello,
Victor ab aurora populis summisq; minatur

Bella nos
stri seculi.

Turca.

Deiectus

Deiecturum arces Italum, excidioq; daturum
Aere cauo, curruq; uolans dat lora secundo
Per Graium populos & lapidis arua Timai.
Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant.
Ventum ad supremum est, en quo discordia ciues
Perduxit miseros? nec habet fortuna regressum.

Hos inter motus, atque haec certamina tanta
Ipsa immota manet spectatq; interrita pugnas
Chara Deum soboles, solido de marmore templi
Assiduo resonat cantu, nec ferrea iura
Insanum hic forum, aut populi tabularia uidit.
Atque metus omnes strepitumq; Acherontis anar
Subiecit pedibus, non ulli obnoxia curae.
Et spectare daptes, solennes ducere pompas
Ad delubra iuuat, caesosq; uidere iuuenos.
Hic amor, hoc studium, summa nituntur opum ui
Regales inter mensas nymphasq; sorores
Syderis in numerum, atque alto succedere caelo
Ist locus urbis erit, requies & certa laborum.
Scilicet. Viuite foelices, o terq; quaterq; beati
Quo res cunq; cadet, si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori uos eximet aeo.

FINIS.

TC 1748 OK

X 22 21 82


DMT

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Q.K. 420,2

723

LÆLII CA=
PILVPI CENTO VER,
gilianus, de uita Monachorum,
quos uulgo Fratres
appellant.

